



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**ORATIONES DVÆ,|| VNA,|| DE FIDE AC || RELIGIONE  
MA-||GNI ILLIVS ATHANASII A-||LEXANDRINI,  
IVRECONSVL-||ti & Theologi eximij,|| ALTERA,|| DE  
HOMOLOGIA SIVE CON-||SENSV CONCENTVQVE  
THEOLO-||giæ Lutheri ...**

**Hunger, Albert**

**Ingosttadii, 1582**

**VD16 H 5948**

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10815252-5**





~~Faint handwritten text~~

J 372.









ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN



ORATIONES DVÆ,  
VNA,  
DE FIDE AC  
RELIGIONE MA-  
GNI ILLIVS ATHANASII A-  
LEXANDRINI, IVRECONSUL-  
ti & Theologi eximij,

ALTERA,  
DE HOMOLOGIA SIVE CON-  
SENSV CONCENTVQVE THEOLO-  
gia Lutheri cum Philosophia Epicuri.

AMBÆ INGOLSTADII, IN PVBLICIS  
ET SOLENNIBVS PROMOTIONIBVS

HABITAE

AB

ALBERTO HVNGERO,  
eiusdem INGOLSTADIENSIS Academia Professore  
Theologo & Procancellario.

*Societ. Jesu  
ex donatione  
Sigulter*



*Paderborna  
adi. d. sebastiani  
a. 1598.*

INGOSTTADII,

Ex officina Weissenhorniana apud VVOLFGAN-  
GVM EDERVM, Anno 1582.



ORATIONES DNE  
NNA

DEFIDE AC

RELIGIONE MA

GNILIVS ATHANASIA

LEXANDRINI IRECONSVL

et Theologi. cum

AETIA

DE HOMOLOGIA SINE COM

SENSU CONCEPITV ONE THEOLO

gic. ant. cum Philo. E. p. w. r.

AMBE INGOLSTADII IN PARLIS

ET SOCIETATIBVS PROMOTIONIBVS

HABITIS

AB

ALBERTO HANNIGERO

ingolm. Ingolstadtensis Theologiae Professor

Theologiae Professor



INGOLSTADII

Excelsis W. et C. P. Ingolstadtensis et V. O. C. A.

et R. S. V. Ingolstadtensis





REVERENDIS, NOBILIBVS,  
ET CLARISSIMIS I. V. DOCTORIBVS, DO-

mino IOANNI EISENGREINIO Cathedralis Ecclesie Para-  
uensis Canonico & Collegiate Straubingensis Præposito, &c. Ac Do-  
mino FRIDERICO STAPHYLO Cathedralis Ecclesie Vratis-  
laviensis Canonico, Curiaq; Eichstadiensis Officiali, &c. Do-  
minis & amicis suis multum semper a-  
mandis colendisq;

ALBERTVS HUNGERVS S. P.



RATIONES HASCE DVAS, RE-  
uerendi, Nobiles, & clarissimi viri,  
cum excudendas roganti permit-  
terem Typographo, vestro potissi-  
mum vt dicatas nomini emitte-  
rem, causas mihi habere iustissimas  
visus sum. Vos enim ij estis in quo-  
rum Doctorali celebritate, huius-  
cemodi orationum priorem illam  
habui: Vos ij estis, quos Theologicarum dissertationum  
lectio delectat plurimum: Vos deniq; ij estis, in quibus  
inuitissimorum illorum Catholicæ religionis propugna-  
torum Friderici Staphyli, & Martini Eisengreini (quorum  
ille quidem alterius vestrum parens, hic verò alterius ve-  
strum frater fuit) ardens illud Orthodoxiæ studium, & per-  
fectum hæreseos odium ita etiamnum viuunt vigentq; , vt  
tametsi vterq; vestrum vtriusque Iuris disciplinæ, quæ suos  
sectatores ferè ad genus vitæ secularis abripit, per annos cõ-  
plures operam dederit; vterque tamen nuper Ecclesiasticũ



vitæ statum amplexus, ipso etiam sacro sacerdotij ordine, veluti arctior e quodam vinculo ad defendenda Catholicæ Ecclesiæ Iura, fidem, & autoritatem, singulari quodam zelo quâ religiosissimè sese obstrinxerit. Accipite igitur, Domini & amici honorandi, hoc quaecunq; munusculū fronte amica & hilari, ac cū clarissimè hīc perspexeritis, eandē prorsus iam olim fuisse illius magni Athanasij fidem & Religionem, quæ etiamnum hodie est Pontificiorum seu Catholicorum omnium, Theologiam verò Lutheri (nec multò aliter de Theologia Caluini statuendum), tam esse Theologiæ D. Athanasij dissentaneam, quàm solis luminis spissæ sunt tenebræ; è diuerso autem Philosophiæ Epicuri tam esse consentaneam, tam cognatam, tam consimilem, vt ouum ouo vix sit similius, pergite facere, quod facitis; vnā sanctam, Catholicā & Apostolicam Romanā Ecclesiā, omnium Ecclesiarū matrem & magistrā, constanter sequimini pieq; veneramini; Lutheri, Caluini, aliorūq; Nouatorū Schismata & hereses, tanquam certissimā pestē fugite, & tanquā paradoxiam ab omni Theologicæ antiquitatis sapiētia damnatā detestamini, errātes, in viā vestro exemplo, vestra doctrina & exhortatione reducere satagite, ne pars illorū, quos in baptisate fratres nacti sumus, tādē cū Epicuro sit, quia nunc cū Luthero & Caluino est, sed potius cū magno sit Athanasio, cuius vel sub pedibus posse consistere, certam & magnā esse felicitatem non immeritò censuerunt Christianorū optimi & sapientissimi quique, ad eò, vt hoc ipsum sibi, tanquā præmium omnis laboris amplissimum, ardentè ac diserte exoptārit doctissimus ille Patriarcha Constantinopolitanus, Gennadius Scholarius.

*Libro de  
processio-  
ne Spirit.  
S. sectione  
quinta.*

Sic vos, & vestram & aliorum procurantes salutem

DEVS opt. Maximus quàm diutissimè incolumestueatur. Ingolstadij 17. Mar.

tij. Anno 1582.

DB





DE FIDE AC RELI-  
GIONE MAGNI ILLIVS A-  
THANASII ALEXANDRINI, IVRE-  
CONSULTI ET THEOLOGI  
EXIMII,

ORATIO.

**D**IVVM ILLVM, VEREQ<sup>3</sup> MAGNVM  
*Athanasium, ( Illustrissime Princeps,  
Magnifice Rector, cateriq<sup>3</sup> nobilissimi  
ornatissimiq<sup>3</sup> Auditores, ) insignem fuisse non  
modò Theologum, sed & Iurisconsultum, cum  
opera eius subindicant, tum clarissimè attesta-  
tur Sulpitius ille Severus, Diuorum Augustini  
& Hieronymi οὐρανός atq<sup>3</sup> amicus, qui libro  
historia sua primo ita perscribit: Quia verò in  
Arrianorum, pectoribus harebat aduersus  
Catholicos implacabile odium, factum est, ut,  
aduersus quos post Nicenam Synodum disce-  
ptare amplius non poterant, eos subornatis ac-  
cusatoribus, confictisq<sup>3</sup> criminibus impeterent.  
Itaq<sup>3</sup> primùm Athanasium Alexandria Epis-*

A 3 copum



oopum, Iurisconsultum, qui apud Nicanam Synodū Diaconus ad fuerat, aggrediuntur. Neq̄ id mirandum profectò, tamen si fortè à paucioribus hætenus obseruatum, aut aliam in partem acceptum, dici censeriq̄ à nobis etiam Iureconsultum, illum diuinum & nunquam satis laudatum Patrem Athanasium. Constat enim in Oriente non modo Constantinopolim & Berythum, verum etiam Alexandria Iurisprudentia studio celebritatem haud parua olim promeruisse. Quamobrem & Agathius Smirnaeus, qui temporibus Iustiniani Imperatoris vixit, se quoq̄ tunc temporis ob legale studium Alexandria in Ægypto versatum memorat, quando Berythus in Phœnicia, altera nimirum illa pulcherrima ciuitas & legum nutritrix (quo epitheto à Iustiniano Imperatore in præfatione secunda super vniuersum opus pandectarum ornatur) terra motu corruit, plurimosq̄ iuuenes alienigenas Iurisprudentia istic operã dantes ruentium edificiorum mole oppressit. Alexandria igitur D. Athanasium, iuuenem videlicet Alexandrinum & postea publicum Archiepiscopi Alexandrini Notariū legali studio aliquando



quando incubuisse, quî sit incredibile, imò qui non sit verissimilimû, tanto præsertim Severi illius testimonio confirmatum? De hoc verè magno & diuino Iurecõsulto compluribus de causis hodierna die dicendum mihi videtur. Enimverò Iuridica eorum Candidatorû celebritati, quorû alteri parens, alteri frater fuit, in Theologico munere obeundo excellentissimi ambo, qua potest à Theologo accommodatior oratio afferri, quàm qua de illo pertractet, qui inter Theologos Iureconsultus, inter Iureconsultos Theologus ante annos mille ac penè trecentos mirificè eminuit, atq; eluxit? Et sanè pertinere ad rem præsentem illud quoq; videtur, quòd, nõ ita multos ante dies, Catholica Ecclesia festum D. Marci pio ritu, debitis honoribus, adeoq; publicis supplicationibus concelebrauit. At verò D. Marci thronum, quis unquam Alexandrinorum Antistitum diutiùs<sup>a</sup> cum decoro moderatus est, quis sublimius euexit,<sup>b</sup> quàm sanctus Pater Athanasius? Pariter anniuersarium festum D. Gregorij Nazianzeni vix dum quatri-duo antè, cum exultatione spiritali agitauit eadem

Celebris memoria Pater noster Athanasius, inquit Cyrillus Alexan. in Epist. ad solitariã vitam agentes, Alexandrinæ Ecclesiæ sedem integros quadraginta sex annos cum decoro moderatus est.

<sup>b</sup> Hic ter beatus Athanasius sancti tandem Marci Euangelistæ thronum in sublime extulit, inquit S. Alypius Apostolorum presbyter in Ephesino concilio Iugolstadtij opera D. Peltani edito, Tomo 4.



*eadem Ecclesia, Hic verò Gregorius meritò  
imitandus nobis, an non elegantissimo panegy-  
rico quondam apud Constantinopolitanos D.  
Athanasium profecutus est? Quin & ipse D.  
Athanasius hoc ipso mense Maio, tum ad vitæ  
fideiq; nostræ institutionem, tanquam pulcher-  
rima virtutum columna, tum ad subsidium  
nostrū tanquā fidissimus inuocantiū patronus  
& intercessor apud Deum, nobis ab eadem san-  
cta Romana Ecclesia piissima matre ac magi-  
stra nostra proponitur. Quid ni ergò & nos D.  
Athanasium qualicunq; orationis munere ho-  
noraremus, Iureconsultum videlicet in celebri-  
tate Iureconsultorum, Theologum in corona-  
tione eorum, qui tam præclaris nostræ tempesta-  
tis Theologis tam arcto necessitudinis vincu-  
lo coniuncti sunt? & hoc præsertim mense, imò  
& his præsertim temporibus, quibus non defu-  
it impudentissimus quidam sectarius Ioannes  
Foxius, qui in suo Calendario seu fastis profectò  
plus nimio fastuosis, pestilentissimum heresiar-  
cham Ioannem Huss in huius grauisissimi, san-  
ctissimi & sapientissimi viri locum per summā  
iniuriam ausus est obtrudere: cuius rei indigni-  
tatem*



tatem tamen si nunc pluribus non prosequar, pius tamen auditor ex hac quoque oratione satis poterit animadvertere.

Nec n. nunc plenam admirandi huius viri laudationem molior, sed quod haud paulo facilius breuiusque confici posse videtur, id solum agam, ut nimirum ostendam, quicumque hodie spreta Catholica et Romana fide persuasionem novam siue Lutheri siue Caluini siue cuiuscunque alterius novatoris sectatur, eum non modo à fide Candidatorum nostrorum et huius Catholicae Academiae Ingolstadiensis, sed etiam à fide magni et diuini Athanasij abesse quam longissime, uereque toto, quod dicitur, caelo aberrare. Quod dum ostendo, quaeso vos, nobilissimi et praestantissimi auditores, solitam mihi in audiendo facilitatem, pro eo ac plane spero, praestate.

Nec enim iniucundum, nec infructuosum, vobis unquam fuerit celeberrimi Athanasij probe perspexisse, fideliterque obseruasse doctrinam; hoc est, eius uiri, quem B. Augustinus Catholicum, <sup>a</sup> sanctum <sup>b</sup> et beatissimum Episcopum nominat, quem D. <sup>c</sup> Basilius patrem vocat colendissimum, magnam uere et Aposto-

B licam

<sup>a</sup> lib. 3. contra Crescō.

cap. 34.

<sup>b</sup> In Epist.

180. ad Honoratum.

<sup>c</sup> In Epist.

111. ad Fortunatum.

<sup>d</sup> In Epist.

48. 49. 51.



licam mentem, talemq; infirmitatum Ecclesiasticarum medicum, quo nullus prudentior, nullus ad utilium, energiam, efficacior; D.

Hæc D. Gregorius in monodia de laudibus D. Athanasii et in oratione de laudibus Hieronis.

lib. de recta fide ad reginas

in episto. ad solitariam vitam agentes.

Gregorius cognomento Theologus, verè hominem Dei, forma animoq; angelicum, omnium virtutum numeris absolutum, simulachrum, posterorum exemplum, bellorum Domini socium, veteris et novi Testamenti scientissimum, clarissimam veritatis tubam, sanctissimum orbis oculum, Confessionis pro fide orthodoxa ducem et magistrum, secundam Christi Domini lucernam; quem deniq; Cyrillus Alexandrinus, ut alios innumeros præteream, vere beatum, & celebris pietatis patrem appellat, qui loquacibus hereticorum nugis inexpugnabili quadam et apostolica prudentia resistit, quasiq; fragrantissimo quodam unguento ipsum cælum scriptis suis exhilararit, & ob dogmatum rectitudinem integritatemq; optimum ab omnibus sortitus sit testimonium: Quod sanè usq; adeo verum ac certum est, ut astuta illa vulpecula Melanthon in suo de Ecclesiasticis scriptoribus libello, cum ceteros Patres penè omnes flagellat & de nescio quibus

corru-



corruptelis stipulis et nauis impiè calumniatur,  
hunc tamen nostrum sanctum patrè Athana-  
sium ne uno quidem vellicare verbulo audeat:  
Nimirum, ne si intelligatur Confessione Au-  
gustana aduersari eum, cuius doctrinam, ne-  
mo unquam, nisi hareticus aspernatus est, Or-  
thodoxi verò, omnes tanquam scriptura sacra  
per omnia pulcherrimè congruentem, summo  
semper consensu suspexere: uel ex hoc uno tanti  
patris contemptu statim quoq; clarissimè intel-  
ligatur, quicquid porrò in libello illo aduersus  
alios patres Melanthon deblaterat, id totum  
ex obstinatissima quadam proficisci superbia,  
ipsamq; Augustanā Confessionem tanti testis  
authoritate repudiatam etiam à scriptura sa-  
cra et ab omni reliquorū sanctorum choro iam  
olim fuisse uno ore explosam & anathematiza-  
tam.

Sed ad rem ipsam accedamus. Ac primū,  
quando tota penè Nouatorum dissensio Roma-  
na et Apostolica Sedis odio continetur, nec isti-  
usmodi dissensionis finis ullus est expectandus,  
quamdiu illi non se patientur huius sanctæ sedis  
saluberrimo imperio contineri: illud mihi ante



omnia disquirendum videtur, quidnam sanctissimus Athanasius, tametsi penè toto divisus orbe à Romanis, de sede tamen Romana existimauerit.

lib. 8. hist.  
Eccles. ca.  
44

Concilio is Nicæno non minima actionum omnium pars, ut verissimè scribit Nicephorus, interfuit, huicq; concilio per vitam omnem ita libenter ac constanter acquieuit, ut ipsum in epistola sua ad Episcopos in Aphrica constitutos, non dubitet honorificentissimo, verissimoq; titulo trophaum aduersus omnes hereses indigitare. Quod igitur huius concilij de Romani Pontificis primatu fuit iudicium, quis cum ratione poterit ambigere, quin ipsius quoq; magni Athanasij fuerit? Sic a utè habet magnum hoc & Oecumenicum concilium, non quidem in illis viginti vulgatis canonibus (haud paulò enim plures fuisse Nicænos Canones ipsi quoq; nouatores nostri necessariò agnoscunt) sed in illis octoginta à doctissimis & fidelissimis interpretibus ex Arabico in latinum conuersis: Ut cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & ut à principio Petrus CHRISTI Vicarius religioni, Ecclesiis, cæterisq;

Vide Nicænos Canones Antuerpiæ nuper vnà cū constitutio nib' Apostolicis Clemētis Romani editos. & Concilium Nicænū editū Colonia li. 3.



terisq; ad CHRISTVM pertinentibus rebus praefectus, principum Christianorum, prouinciarum, & omnium gentium Dominus ac Rector erat; ita ille, cuius principatus Romae est, et Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & principatum obtinet. Huic sanctioni si quis repugnauerit, totius Synodi decreto anathemati subijcitur. Quid hoc Niceno decreto, adeoq; etiam Athanasiano testimonio clarius, quid grauius?

Sextum quoq; huius Nicani concilij Canonem pro Romani Pontificis primatu tum alij veteres tum Pascasinus quoq; in frequentissimo illo Chalcedonensi concilio produxit ubi sexcenti diuersissimarum regionum Patres Leonem Magnum Pontificem Romanum vniuersalis Ecclesiae Episcopum plenissima & laetissima voce acclamarunt. Sanè honoris prerogatiuam in eo Canone Pontifici Romano supra omnes alios totius Christiani orbis Patriarchas attribui, ne ipsi quidē Cēturiatores Magdeburgēses hostes alioquin Pontificia dignitatis infensissimi negare ausi fuēre. Quamobrem & Leo Nonus cum primis sanctus & eruditus

lib. 4. cap.  
7. mihi  
folio 552.



Pontifex in libello suo aduersus inauditas presumptiones Michaëlis Constantinopolitani & Leonis Acridani Episcoporum, cap. 10. siue ad hunc Canonem sextum siue ad priorem illum paulò antè citatum respiciens non dubitat expressissimis verbis scribere, hanc esse reuerendam uniuersæ Synodi Nicenæ sententiam ueraciter diuina inspiratione promulgatam, & à reliquis uniuersalibus Synodis, Constantinopolitana prima, Ephesina priori, Chalcedonensi, & alijs unanimitate, concordiaq; uerbo & scripto confirmatam quòd Romana & Apostolica sedes post Dominum IESVM, caput sit omnium Ecclesiarum DEI.

Ne uerò D. Athanasium in solo Concilio Niceno de hac Romani Pontificis eminentia loquentem audiamus; ecce & in sua aliorumq; Ægypti Episcoporum epistola ad Felicem II. Romanum Pontificem, ex huiusmodi Nicenis Canonibus pulchrè ostendit, se Patriarcham Alexandrinum, aliosq; Ægypti Episcopos à Pontifice Romano tanquam ab eo qui ipsis præsist, et in summa Ecclesia specula gratia Dei, sit constitutus, contra Arrianos defendi



fendi debere: Et in epistola ad Marcum Romanum Pontificem disertissimis verbis Romanam sedem confitetur matrem & caput omnium Ecclesiarum.

Sed hanc praesertim ad Marcum epistolam fictam esse à Papistis Protestantes nostri protestantur. Quid ita verò? cauillationes afferunt more suo, ut cum D. Athanasio loquar, indecoras, statimq; de proximo refutabiles. Exempli causa, octo tantum menses, inquit, in Pontificatu hesit Marcus. Quis ergo potuit ad ipsum tam longè distitus perscribere Athanasius? ô bellum Argumentum, atq; irrefutabile. Mihi equidem, praestantissimi auditores, haud multò aliter comparatū hoc argumentū videtur ac si quis ita arguaretur: Anno Sexagesimo sexto, mense Martio vixdum per totas quinque septimanas Pius Quintus, Pontifex fuerat Maximus. Quomodo igitur Magnificus Dominus Eisengreinius alterius Candidatorū nostrorum, frater germanus, cuius memoria in benedictione sit, eodē anno, eodemq; illo mense Martio, Roma in grauisimo Pij V. compluriūq; Cardinalium consensu Serenissimi Ba-

In Epist.  
de Syno-  
dis Arimi-  
ni & Sele-  
ciae cele-  
bratis.

uaris



maria Principis Alberti nomine orationē tam  
luculentam, tanta cum Pontificis maximi, et  
amplissimorum Patrum admiratione habuit.  
At hoc ita prorsus accidisse, ego qui tum  
temporis S: Theologia in Urbe studebam, ut  
testis oculatus noui certissimò.

Ecquid uerò, si Marcus ille nō per solos octo  
menses, sed per totum biennium et octo insuper  
menses in Pontificatu uixit, ut quidem id con-  
testatur Damasus, Platina, aliq̄, non futiles  
Historici complures. Præterea si conficta est hæc  
epistola, quis obsecro, eam confinxit? Nos cer-  
tè huius fictionis conscij non sumus: quin præ-  
scriptionem longissimi temporis, et fidem bonam  
aduersarijs opponimus. Nam & Gratianus  
ante annos quadringentos, & Isidorus an-  
te annos nongentos hanc Epistolam sub no-  
mine Athanasij recensuerūt: & nec ipse Marc<sup>us</sup>  
Ephesius, alioquin Latinis uehementer infest<sup>us</sup>, in  
Concilio Florentino eam esse Athanasij ausus  
est inficiari. A nobis igitur hac in parte, cum  
& rei stet honesta possessio, & iuris necessaria  
presumptio, non debet tam facile Nouatoribus  
nostris hæc Epistola tanquam conficta conce-  
di vel



di vel pro derelicta haberi. Verū enimvero de-  
mus aduersarijs, quod ratio probabilitatis non  
dat, Epistolam istam pseudepigrapham esse; an  
non satis est illud ad coarguendos Romani Pō-  
tificatus osores, quòd idem D. Athanasius è se-  
de sua Patriarchali per Arrianos deturbatus  
ad Iulium Pontificem Marci successorem, tan-  
quam ad totius Ecclesie caput & supremum  
Antistitem prouocauit, & ab eodem restitutus  
est? Maiorem profectò olim apud D. Atha-  
nasium, imò & apud ipsos Arrianos autorita-  
tem summi fuisse Pontificis, quàm hodiè est a-  
pud nostros Nouatores siue Lutheranos siue  
Caluianos, vel ex hac appellatione & restitu-  
tione liquidò apparet. Sed tergiuersioni suæ &  
ptinaci aduersò Rom. Pontificè odio causã hanc  
pretextūt nouatores, nimirū post D. Athanasij  
tempora, mutationem religionis in Papatu esse  
factam, Romanosq; Pontifices perniciosis erro-  
ribus salutarem D. Athanasij puriorisq; Ec-  
clesie doctrinam oppressisse et extinxisse. Quam  
uerò hic pretextus vanus ac falsus sit, à Catho-  
licis nostrorum temporum scriptoribus, luce  
meridiana clarius iam pridem ostensum est. Ad  
C nostrum

C

nostrum



nostrum institutum quod attinet, hanc tam frigidam excusationem, hanc tam putidam cavillationem, hanc tam iniustam querimoniam satis utiq; redarguisse atque refutasse videbimur, si idem prorsus de precipuis religionis nostrae controuersijs iam olim sensisse Beatissimum Athanasium, quod etiamnum hodie sentiunt, quotquot usquam uiuunt Pontificij, demonstrare potuerimus.

Age igitur, an non Ecclesia Catholica, Patres, Concilia, Nouatoribus nostris contemptui sunt, solaq; Scriptura poscitur, ut eam uidelicet pro suo quisq; iudicio vel ad hunc vel ad illud confirmandum errorem, possit distorquere? Atqui licet Scriptura quoq; suam auctoritatem integram et illibatam constare velit magnus Athanasius, quemadmodum et hodie Pontificij seu Catholici omnino uolunt omnes, quam ille tamen Lutheranium et Caluinianum ipsius Ecclesia, ipsorum patrum, Conciliorumq; contemptum improbet ac detestetur, satis patet ex illius epistola ad Epictetum Episcopum Corinthiorum. Refert hunc D. Athanasij locum Graecè iuxta & latinè doctissimus Dominus  
Fride-



Fridericus Staphylus alterius Candidatorum  
nostrorum genitor pijsimus, in præfatione tri-  
membris Theologia; nos breuitatis causa lati-  
nè tantum referemus.

Hoc solummodo, inquit illic sapientissimus  
Athanasius, ad talia sectariorum nugamenta  
respondere sufficit, quòd ista non sint Catholica  
Ecclesia, neq; ista Patres nostri senserint. Qua-  
si dicat D. Athanasius, cum aliquid iam ge-  
neralis Concilij, adeoq; totius Ecclesie autho-  
ritate definitum est (Totam enim Ecclesiam  
generale concilium, summi Pontificis authori-  
tate celebratū, representat, ut quidē ipse quoq;  
D. Athanasius totum orbem in Concilium  
Nicanum coisse scribit; Cum tamen uniuersus  
legatorum Romani Pontificis aliorumq; Epis-  
coporum numerus haud maior quàm trecen-  
torum & octodecim fuerit) cum item concors  
Patrum sententia aliquid ut scriptura sacra  
consentiens approbat, non potest id in dubium  
reuocari, nisi ab eo, qui ne ipsi quidem scriptura  
sacra de autoritate Conciliorum generalium,  
et de consensu Patrum satis credit; quales in-  
credulitatis ac diffidentie nepotes sunt Luthe-

In Epist.  
de Syno-  
dis Arimi-  
ni & Seleu-  
ciae cele-  
bratis.



Dialogo  
3. de Tri-  
nitate.

rus, Calvinus, alijq̄ istorum stolones & a seclē.  
Iactabant, inquit D. Athanasius, & Iudæi  
olim se ita credere, Ut B. Moyses & Propheta,  
interim verò Christum, de quo vaticinati fue-  
rant Moyses & Propheta, crucifigebant. Sic  
Novatores nostri subinde quidem clamitant se  
credere Christo & Apostolis; Sed interim quid  
agunt? Ecclesiam qua teste Apostolo columna  
est & firmamentum veritatis, qua teste Chri-  
sto, adificata est super Petram, tam firmiter, ut  
porta inferi non sint prevalitura aduersus eam,  
qua testante et præstante eodem saluatore adeò  
extra periculum erroris omnis versatur, ut  
qui eam non audierit, hoc ipso habendus sit  
tanquam Ethnicus & publicanus, hanc, in-  
quam, Ecclesiam egregij uidelicet isti Euāgeli-  
ci nescio per quot secula turpissimè ac pernicio-  
sissimè aberrasse calumniantur; Et quasi co-  
lumna esset falsitatis, quasi domus adificata su-  
per arenam, quasi à portis inferi superata &  
suppressa, quasi nihilo prudentior, quàm iudi-  
ces isti seculares, à quibus, propter errorem,  
beneficium concedi solet appellationis, nec leges  
eius, nec dogmata curant.

Pariter



Pariter sanctorum patrum consensum  
 tanquam diuinitus inspiratum & tanquam  
 sacra scriptura nusquam nõ consentaneum, A-  
 postolus nobis expressè commendat dum ait:  
 Christum nobis præter Prophetas, Apostolos, &  
 Evangelistas dedisse etiam Doctores & Pastro- Ephes. 4  
 res ne simus tanquam paruuli fluctuantes, &  
 circumferamur omni vento doctrina. Quod  
 si enim tum etiam à vero sacra scriptura sensu  
 aberrare possent sancti Patres quando non  
 unus vel alter sed communiter atq; constanter  
 id ipsum asseuerant omnes vel penè omnes, quo-  
 modo non semper nobis, tanquam paruulis esset  
 nutandum atq; dubitandum contra quam vult  
 D. Paulus? At quantumuis huiusmodi Pa-  
 trum consensum, citra exceptionem omnem, à  
 nobis suscipi velit scriptura sacra; sub pratex-  
 tu tamen scriptura sacra fortiter isti tam belli  
 Evangelici consensum hunc contemnunt, cau-  
 ponantes, ut cum D. Athanasio loquar, & In Epist.  
ad solitar.  
vitã, agen-  
tes.  
 adulterantes scripturam sacram, & suas ipso-  
 rum nenas ei impiè affingentes.

Pulchrè idem Pater Athanasius de pa-  
 tribus de concilijs, de ipsaq; adeò Ecclesia scri-



In Epist.  
de Synodi  
Nicane  
decretis.

bit alibi. Cum enim produxisset patrum tradi-  
tiones, quas noui isti Critici nostri reijciunt, Ec-  
ce nos demonstramus, inquit, istiusmodi senten-  
tiam à Patribus ad Patres, quasi per manus  
traditam. Vos autem noui Iudæi & discipuli  
Caipha, quos verborum uestrorum Patres ac  
maiores demonstrabitis? Cuncti enim vos præ-  
ter Diabolum istius uobis à Christo defectionis  
authorem auersantur. Ille & olim uobis hanc  
impietatem in seuit & nunc uobis author est ut  
orbis terrarum Concilium uituperetis, non a-  
lia de causa quam quod in eo Concilio non quæ  
uestra factioni patrocinentur, sed illa sint scri-  
pta, quæ ab initio ipsi qui testes oculati & mi-  
nistri uerbi fuere, tradiderunt. Fides enim quæ  
scriptis decretisq; Synodi sancita est, ea est to-  
tius Ecclesia. Quod perinde est ac si diceret  
sanctus Pater. Nec enim dubitandum est, nè  
forte concilium istud quod non solum aliorum  
Episcoporum, sed & ipsius Romani Pontificis  
authoritate celebratum est, aliquid aduersus  
sacram scripturam statuatur. Quia in tali Con-  
cilio Ecclesia tota re presentatur adeoq; fides  
eiusmodi Concilij, fides est totius Ecclesia quæ  
teste



teste scriptura, errare non potest. Vnde non per-  
mittit S. Athanasius, ut in Synodi Nicanae In Epist.  
Confessionem amplius inquiretur; sed compe- ad Antio-  
ci vult tales Aristarchos, tanquam meros ca- chenses.  
uillatores, in quibus nihil nisi contendendi stu-  
dium possit agnosci. Qua etiam de causa Sar- Ibid.  
dicenssem Synodum collaudat, quod aliam fidei  
professionem, praeter illam Nicenam, adi nolue-  
rit; nè videlicet contentiosi homines, quales e-  
rāt Arriani, & quales hodie sunt nostri Noua-  
tores, occasione arriperent iterū atq; iterū de fi-  
de definiendi: Hac. n. noui examinis admissa li-  
centia, in infinitū ut ipse quoq; verissimè scribit In Apolog.  
exit ista curiositas. Quod si necdum satis cla- 2.  
rum omnibus euasit, magni nostri Athanasij  
iudicium, de istis nostris pseudoscripturarijs,  
qui ut fucum suis faciant, tantopere de scri-  
pturis gloriantur, quarum tamen interim vir-  
tutem, abnegant, & veritatem, ignorant,  
videamus, quæso, quos idem Athanasius alibi In Epist.  
pronunciet scripturae sacrae veros ac germanos de Synodi  
interpretes, quos vanos & falsos; ut de utrisq; Nicanae  
ex tanti patris iudicio iudicare rectè possimus. decretis.  
Vera, inquit, disciplina, & veri Magisterij ar-  
gumentum,



gumentum ut etiam antè me Patres tradiderunt, ibi est ubi eadem de fide Christiana confidentur omnes, nec à se inuicem, nec à maioribus suis dissentiunt. Qui autem hoc animo non sunt, improbi potius, quàm veri Doctores appellari debent. Aurea profectò D. Athanasij sententia, & ad defendendos Pontificios seu Catholicos, ad coarguendos verò & conuincendos Nouatores falsò de scriptura gloriantes, apertissima & efficacissima.

Sed progrediamur ad cetera Nouatorum nostrorum paradoxa. Fidem virtutum omnium esse maximam, adeoq; in opere iustificationis solam partes explere omnes, quis nescit esse dogma Nouatorum? Contra ait D. Athanasius in Dialogo orthodoxi & Macedoniani: Maior est dilectio fide & spe, causaq; incrementi omnium aliarum virtutum.

Virginitatis nullam esse apud DEVM prerogatiuam; unde nec vouendam virginitatem perpetuam, nec monasteria Virorum, aut Mulierum conseruanda pari impudentia Lutherus & Calvinus clamitant. Cōtra D. Athanasius integrum etiam librum de virginitatis laude



laude ac prerogativa scripsit iam olim D. Hieronymo quoque cognitum et approbatum in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Quin et in Apolegetico pro fuga sua idem D. Athanasius ex eo vel uno docet recte posse constitui, utrum religio vera apud Arrianos sit, an apud Catholicos, quod sanctum et caeleste illud perpetuae virginitatis institutum apud solos Catholicos feliciter impleatur, ab Arrianis vero negligatur, imo etiam ludibrijs atque iniurijs vexetur. Quomodo igitur non et hodie Lutherani et Calviniani, iudicio S. Athanasij, a vera religione alieni sunt, qui perinde ac olim Arriani perpetuae virginitatis vota derident?

Quid de vita monastica commemorem, tanto pere istis quoque exosa D. aut Athanasio tam preciosa? An non is in epistola ad solitariam vitam agentes gravissimè inuehitur in Arrianos qui Monasteria euerterant, qui ignes ad comburendos monachos iniecerant? Nonne adhortationem pulcherrimam ad monachos scripsit, qua eos ad perseverantiã mirificè inflammat? Nonne dum vitam B. Antonij descripsit, sub narrationis specie, ut loquitur D. Gregorius

D                      Nazi-



In mono-  
dia de lau-  
dibus diui  
Athanasij

*Nazianzenus, leges Ascetis seu monachis praescripsit, non solum videlicet studium legendi vel audiendi, sed etiam abstinentiae curam, ieiunij patientiam, orandi assiduitatem, aliasq; similes exercitationes? Nonne in epistola ad Ammon religiosorum pietati, fructum centuplum secularum autem pietati, fructum duntaxat trigeuplum distribuit? Qui locus tam elegans, tam grauis, ac notabilis visus est celebri Graecorum historiographo Georgio Cedreno, ut eum etiam operi suo historiarum inferuerit de verbo ad verbum, veluti pulcherimum emblemam inseruerit.*

In suo hi-  
storiarum  
compen-  
dio, mihi  
Eol. 165.

*Amplius, ieiunia praesertim prolixius illud Quadragesimae nec laudari nec seruari à nouatoribus satis superq; constat. Contra verò tanti fuit D. Athanasio ieiunium, praesertim illud prolixius Quadragesimae, ut in epistola ad omnes orthodoxos summi probri loci obiecerit Arrianis, quòd Catholicos eo tempore, quo ieiunio Quadragesimae dediti erant, diuexare haud fuissent veriti. Imò & ipsius D. Athanasij in ieiunijs frequentiam & prolixitatem, tanquam corpore vacantis & materiae expertis*  
ma-



magnopere laudat & admiratur D. Gregorius Nazianzenus. Venio ad poenitentiam, Nouatorum: Hanc ipsi ita definiunt, ut baptismo prorsus exequent, neq; concedant, per eam unquam à Deo condonari culpam, quin simul etiam omnis ab eo condonetur pœna, non solum aeterna, verum & temporalis, ut proinde impetrata culpa venia, nulla prorsus opus sit bonorum operum, satisfactione &c. Ista verò omnia Diuus Athanasius in quaestione 63. ad Antiochum, & in Epistola ad Serapionem, de blasphemia, apertè reprobat, illic quidem poenitentiam non solum nouam vitam definiens, sed preces, lachrimas & labores pios pro admissis peccatis, hinc autem hoc certissimum tradens discrimen, inter Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Poenitentiae, quòd in Baptismo vi Sacramenti remittitur simul cum culpa omnis pœna, in Sacramento autè poenitentiae nõ item. Manèt enim plerunq; cicatrices vulnerum, satisfactione aliqua nostra (quam tamen totũ suũ robur & vim à Christi satisfactione mutuari libenter et reuerenter fa-

In citata  
monodia  
de laudib.  
D. Athan.



temur) persananda, Quod discrimen cum in  
D. Athanasio quoq; D. Gregorius Nazianze-  
nus legisset, pulchrè & ipse in Oratione de san-  
cto baptisinate, lene medicamentū baptisina ap-  
pellat, difficile verò & acerbā curationem pœ-  
nitentiam, ut ad quā pertineant lachrymae, ge-  
mitus, preces, pervigilia, anima & corporis af-  
flictatio, humicubationes, ac deniq; correctio  
ea, quæ in peccati confessione vitæq; sordibus &  
squallore consistit. Ideoq; diligenter monet, ne  
gratiam baptismatis peccatis nostris amitta-  
mus. Quanta enim postea lachrymarum vis  
erit impendēda, ut ea cum baptismi fonte que-  
at exæquari? Et si igitur & peccata etiam post  
baptismum remittantur, agrè tamen cicatrices  
istiusmodi obducuntur, agrè istiusmodi vulne-  
rum nota delentur, præstatq; proinde in prima  
purgatione consistere, quàm secunda indigere.]  
Quæ verba Scholiastes D. Gregorij doctissi-  
mus, Nicetas ille Serronius, non tam ut Gre-  
gorij quàm ut ipsius Athanasii (ex Athanasio  
enim deprompta videbat) paraphrasi sua ibidē  
pro hac ipsa etiā Catholicorum sentētia egregiè  
illustrat.



illustrat. Cùm autem homines ex iniustis iusti  
sunt coram DEO, quanam iustitia verane ac  
inherente cum Catholicis, an externa tantùm  
& imputativa cum Lutheranis & Caluina-  
nis eos iustos fieri existimandum est? Ecce e-  
nim veritatem dilexisti Domine, inquit Pro-  
pheta. Quorum verborum Davidicorum hūc psal. 50  
esse sensum, testatur B. Athanasius: Tu Do-  
mine, cùm veritas sis, & veritatem diligas, vo-  
lens nos in veritate ambulare, etiam munda-  
bis nos à vetustate peccati, & sic mundabis, ut  
supra niuem candidos reddas; expiatio enim  
nobis quasi per hyssopum fit. Hyssopo autem  
Spiritus sancti efficaciam, David comparat,  
tanquam calorem inducentem, et sordes omnes  
à nobis eluentem. Ecce D. Athanasii sententi-  
am de iustificatione nostra. Non ergò secun-  
dum ipsum ita peccatum originale remittitur,  
ut etiam post baptismum, verè permaneat;  
& tantùm non imputetur amplius, id quod  
Novatores nostri dogmatizant: nec ita se-  
cundum ipsum homines iusti efficiuntur, ut a-  
pud DEVM quidem, quemadmodum ipsi di-  
cunt propter fidem iusti reputentur, interim



verò reuera iniustissimi sint, & aliud nihil,  
quàm, ut in suo Theologia compendio Her-  
brandus alijsq; Nouatores alibi in sanctos homi-  
nes imò & in ipsam diuini spiritus efficaciam  
iniuriosissimè scribunt, boni nebulones, fromme  
Schälck. Longè profecto aliter hoc loco D.  
Athanasius; qui cū sciret Deum veritatem  
diligere certissimò etiam credidit, in veritate,  
& non per solam imputationem & quandam  
quasi iurisdictionem à Deo nos iustificari.

Porro si de cultu & inuocatione Sancto-  
rum quæramus, quam isti hagiomastiges no-  
stri, Lutherani & Calviniani, pro Idololatria  
habent, quid potest præclarior adduci, quàm  
quòd idem Athanasius ter ut minimum Bea-  
tissimam virginem Mariam vel in una homi-  
lia inuocat? Quæ homilia & in Græcis &  
in Latinis D. Athanasij operibus extat, &  
à Græco Historiographo minimè recenti Mi-  
chaële Glyca alijsq; Græcis citra dubitationem  
omnem, ut D. Athanasij recitatur; ne Kem-  
nitius putet se pulchrè respondisse, dum propte-  
rea negat, eam homiliam D. Athanasij esse,  
quia

In homil.  
de sanctiss.  
Deipara.

Ad Alpiū.



quia sanctorum invocatio in ea statuitur. Sanè  
quidem & Magdeburgenses, Centuriatores Cent. 42  
hanc D. Athanasii homiliam legerunt, sed ag- Cap. 4.  
noscentes eam <sup>γνωσκον</sup> esse, idq; sine magna te-  
meritate negari haud posse, dum aliud effugi-  
um non reperiunt, demirantur, tantum vi-  
rum sic scripsisse. Quasi verò non & ipsi ibi-  
dem fateri cogantur, precipuos etiam Ecclesie  
Doctores alios sic passim scripsisse; adeoq; san-  
ctorum non, ut DEORVM, sed ut intercessorum  
nostrorum invocationem, tanquam sacra scri-  
ptura doctrina & exemplo, tanquam rationis  
naturalis suffragio & instigatione, tanquam  
miraculorum magnitudine & multitudine  
plurimum commendatam, firmissimeq; con-  
constabilitam, summo consensu approba-  
uisse.

Quod si verò de orationibus & sacrifi-  
ciis pro defunctis placeat sciscitari, quid cla-  
rius ex mente D. Athanasii responderi  
potest, quam quòd ipse dicit in elegantissi-  
ma sua oratione de mortuis, ut hunc  
ipsius locum etiam nominatim citat divi-  
nus



In oratio-  
ne de his,  
qui in fide  
obdormi-  
erunt.  
In tracta-  
tu de pur-  
gatorio.

*nus & sacer ille orientis oculus IOANNES  
Damascenus, & constantissimus ille in defen-  
denda fide Orthodoxa Constantinopolitanus  
Patriarcha Gennadius.*

*Nimirum cohortatur nos illic D. A-  
thanasius clarissimis verbis, ut opem Chri-  
sti imploremus defuncto, ut oleum & ceram ad  
sepulchrum incendamus, ut altaris propitia-  
tionem, seu incruentum sacrificium, adhibea-  
mus. Similia prorsus in Quaestionibus ad An-  
tiochum, questione 34. tradit. Cum enim hanc  
proposuisset questionem, num sentiant aliqua  
beneficia peccatorum anima (hoc est, quae DEO  
quidem reconciliata, sed nondum satis perpur-  
gata ex hac vita decessere) quando super illis fi-  
unt conuentus & per actiones bonorum ope-  
rum & oblationes: Respondet (ut ipse quoque  
Ioannes Capnion, & hic quondam & postea  
Tubinga Graecarum ac Hebraicarum litera-  
rum Professor, latinè interpretatus est.) Si non  
aliquo beneficio participarent ex illo non utiq;  
in cura & exequijs fieret cōmemoratio, Nem-  
pe sicut vitis florescit extrà quidem in agro, &  
odio*

Liber A-  
thanasij  
de varijs  
quaestio-  
nibus à Io-  
anne Cap-  
nionè ali-  
às Reuch-  
lino è Græ-  
co in lati-  
num con-  
uersus, &  
Hagenoæ  
impressus.



odorem eius ita sentit in vase vinum reclusum,  
ut ipsum etiam conflorescat: sic intelligimus  
peccatorum animas participare aliqua benefici-  
entia, ab incruenta immolatione & gratifica-  
tione pro ipsis facta, sicut ordinat & precipit,  
qui viuorum & mortuorum potestatem gerit  
DEVS noster. Transeo ad venerationem sacra-  
rum imaginum, quam itidem Nouatores nostri in  
controuersiam reuocauerunt. De qua veneratione  
quid D. Athanasius sentiat tametsi ex hi-  
storia de imagine Christi à Iudaeis Berythen-  
sibus crucifixa satis intelligi possit, utpote ab  
ipso conscripta & tanquam ipsius in Oecume-  
nico Concilio Nicano secundo à doctissimis et-  
iam Graeciae Doctoribus recepta; haud paulò  
tamen clarius perspicitur ex sermone eius de  
sanctis Patribus & Prophetis et ex li. *Question.*  
*38. ad Antiochum*, ubi & venerationem ima-  
ginis & modum venerationis hunc in modum  
asserit: Non adoramus nos Christiani imagi-  
nes tanquam Deos, ut gentiles, sed potius ut  
affectum nostrum & desiderium charitatis no-  
strae apud faciem pictam imaginis declaremus.  
Ex quo etiam fit, ut saepenumero deleta effigie,

E tan-



tanquam inutile lignum postea crememus,  
quod fuerat imago.] In Eucharistia quoque ve-  
rum adesse Christi corpus in libro de suscepta  
natura humana ab unigenito verbo, & con-  
tra Apollinarium tam affirmat serio, ut etiam  
tacitam Calvinianorum obiectionem breui quæ-  
dam solida responsione diluat: Caro non prodest  
quicquam, inquiunt isti; ergo caro Christi non  
est in Sacramento Eucharistia. Respondet D. A-  
thanasius, quod etiam caro Christi spiritus est  
vivificans; quoniam ex spiritu vivificante  
concepta est, iuxta illud Ioannis 3. Quod na-  
tum est ex spiritu, spiritus est. In Eucharistia  
igitur caro Christi est ac plurimum prodest.  
Vnde idem beatissimus Athanasius non solum  
eodem loco nos verè in cõmunionem Dominici  
corporis admitti, sed & in libello illo de imagi-  
ne Crucifixi verum Christi sanguinem nullum  
amplius in terris extare tradit quàm qui quo-  
tidie in ara altaris per manus sacerdotum invi-  
sibiliter præsens efficitur. Neque dubium est ul-  
lum, quin ut ipsius non ita multos post annos  
in eodem Patriarchatu successor Cyrillus  
Alexandrinus ad Calosyrium scribens Sa-  
cramen-



cramentum Eucharistia etiam extra usum esse  
 docuit, contrariumq; Nouatorum nostrorum  
 dogma insaniam appellauit, ita etiam ipse D.  
 Athanasius omnino quam diu salua manent,  
 Sacramenti species, tãdiu etiã sub speciebus illis  
 presentem esse carnem & sanguinem CHRISTI  
 crediderit, cum & sacrarij in Apologetico pro  
 fuga sua meminerit, & per omnia, ut supra  
 quoq; dictum est, Concilio Nicano assenserit;  
 quod quidem in can. 46. curam eius loci, in  
 quo sancta Eucharistia asseruatur, diligentissi-  
 mē mandauit. Amplius; ne prorsus ea silen-  
 tio pratereamus, quorum nobis renouat ac re-  
 presentat memoriam, hisce proximis diebus ce-  
 lebratum magnum Pasche festum; an nō idem  
 sanctissimus & sapientissimus Athanasius ex-  
 presse docet, contra Calvinum & BeZam & a-  
 lios id genus sectarios, CHRISTVM rediuuium  
 per ianuas clausas ad discipulos suos penetrasse,  
 adeoq; hanc corporum penetrationem rem esse  
 facilimam omnipotentia diuina? An non con-  
 stantissimē contra eosdem istos asserit CHRIS-  
 TVM non tropicē sed verē ad inferos descen-  
 disse animasq; sanctorum ibidem detentas suo

In dispu-  
 tatione cō-  
 tra Apolli-  
 naristas.

Tum pluri-  
 bus alijs  
 in locis,  
 tum præ-  
 fertim in  
 oratione  
 de incar-  
 natione  
 Christi.



lib. 2. insti-  
tu. cap. 16.  
sect. 9.

In lib. pro-  
blematū.  
tit. de lim-  
bo patrū.  
fol. 717.

demū illo exoptatissimo decensu liberāsse, adeoq̄  
haudquaquam aniles esse fabulas limbū, ut impius  
oggannit Calvinus, nec animas piorum iam o-  
lim ante CHRISTI aduētum fuisse beatas in cœ-  
lis, quod unā cum Caluino Pelagianizans cō-  
fingit Aretius, sed post Christi demum passionem  
beato illo diuinæ essentia aspectu fuisse exhilara-  
tas, Christoq̄ ascendente & captiuam secum  
ducente captiuitatem in Cœlos assumptas? Ac  
ut tandem ibi finiam unde orsus sum, in com-  
probanda videlicet ac vindicanda dignitate S.  
Romana Ecclesia (quam profectō nisi quis ma-  
trem habuerit, frustra sibi CHRISTVM pollicea-  
tur patrem) quis nescit huius seculi hereses  
penē omnes, amplitudini, splendori, potentia hu-  
ius Ecclesia inuidere adeo, ut vel hinc certissi-  
mè persuasum velint omnibus, ueram hanc Ec-  
clesiam haud esse, sed ipsissimum potiùs Anti-  
christi regnum, manibus pedibusq̄ fugiendum.  
Quid autem hic D. Athanasius? quid sum-  
mus hic fidei orthodoxæ Patronus. Sciēs D. A-  
thanasius, iam olim DEVM Ecclesie suæ tempo-  
re humiliationis, tēpus pradixisse exultationis,  
tum alibi aliquoties, tum in illis Esaiæ verbis

Tan-



*pulcherrimis; Pro eo quod fuisti abiecta, ecce po-  
 nam te in superbiam seculorum, gaudium in ge-  
 nerationem, & suges lac gentium, et mammilla  
 regum lactaberis, sic ille cum Davide super  
 Psal. 39. concinit: Huc progressum Domine ha-  
 bebis Ecclesia tua, ut qua prius pauper fuit &  
 & mundana inopia grauiter pressa, tandem  
 potētia tua ditetur & auxilio tuo gloriosa red-  
 datur. Quid hisce verbis aptus? At finē dicēdi  
 facio & propter temporis angustiam sciens pru-  
 densq; omitto cetera, qua ex eodem D. Athan.  
 cōtra nostrē temporis Gōsticos bene lōgo Catalogo  
 adduci possent prater ea, puta de crucis cōsigna-  
 tione in fronte, de consecratione & ornamentis  
 templorum, de numero librorum Canonico-  
 rum scripturae sacrae, de libero arbitrio, de po-  
 testate Ecclesiastica, de D. Petri aduentu in  
 urbem, deq; alijs id genus: Vltiorem quaren-  
 di occasionem apud D. Athanasium satis sit  
 hunc in modum suggestisse ijs, qui salutis suae e-  
 am, quam debent, ducunt rationem.*

*Debent autem certē maximam ducere o-  
 mnes. Cum enim de religione agitur, non de  
 Iure fundi, aut de stillicidijs, aut quod dici so-*

Vide hunc  
 D. Athan.  
 locum in  
 catena  
 Græcorū  
 pattum su-  
 per psal-  
 mos



let de paupere agitur regno, sed agitur de regno  
Cælorum & sempiterna salute. Cum igitur hæc  
me Iureconsultorum commouerit celebritas, ut  
de eo Iureconsulto dicerem, qui & summus sem-  
per Theologus ab omnibus Theologis est habi-  
tus, Vos quoque ornatissimi Iuuenes, hæc eadem,  
obsecro, celebritas, siue etiam hæc qualiscunq;  
mea commoueat oratio, ne aliam unquam re-  
ligionem vobis sequendam putetis, quam se-  
quuntur presentes spectatissima virtutis ac do-  
ctrina Candidati nostri. Non ignorabam illud  
Pauli Iureconsulti: Testes quos accusator de  
domo produxit interrogari non placet. Itaque  
pro religione candidatorum, quam nuper pro-  
fessi sunt, & cum omnibus Catholicis commu-  
nem habent, aduersus Nouatorum nostrorum  
impia paradoxa, nec patrem alterius, nec alte-  
rius fratrem in testimoniū adduxi, tametsi pro-  
fecto dignissimos ambos, doctissimos ambos, de  
repub. Christiana, & de hac schola præclare me-  
ritos ambos: (Domesticos enim produxisse  
visus essem) sed D. Athanasium produxi,  
quod certè super hodiernis Religionis controuersis  
testimonium dicens, sine omni partium studio  
dicit. Zelum igitur zelate Domino, lectissimi  
Iuuenes,



Iuvenes, retentaq<sup>3</sup> Patrum fide ne unquam au-  
scultetis ijs, qui in fide rebus nouis student: Nā  
Et hoc unum ex tribus fuit, quorum in extre-  
mo vitæ suæ vehemēter pœnituit Imperatorem  
Constantium, Vt in oratione de laudibus D.  
Athanasij refert D. Gregorius Nazianzenus,  
quòd videlicet nouis dogmatibus studuisset: Pa-  
trum honorem, Vestrā salutem respicite. Vt. n.  
idem D. Athanasius ait in epistola de syno-  
dis Arimini Et Seleucia habitis, arietare cum  
Patribus nimis indecorum est. Tu autem o ve-  
rè magne Athanasi, Pater sanctissime nobisq<sup>3</sup>  
colendissime, orationi quidem nostræ hîc fi-  
nem constitue, nostram autem hanc scholam,  
nostram hanc iuuentutem, nostros hos Candi-  
datos, in vera Et integra Patrum fide, tua a-  
pud Deū intercessione conserua, atq<sup>3</sup> effice, Vt hi  
Candidati nostri non minùs, quàm alterius pa-  
rens. alteriusq<sup>3</sup> frater, Ecclesia Catholica com-  
modent. Quod cum pro eorū singulari virtute  
ac eruditione sperem certissimò futurum, etiā  
lubentissimo animo eis statim impartiar quic-  
quid à me paulò ante petierunt si modò prius  
solitum ipsi prestiterint iusiurandum.

DIXI.





DE HOMOLOGIA  
SIVE CONSENSV CONCEN-  
TVQVE THEOLOGIÆ LVTHERI  
CVM PHILOSOPHIA  
EPICVRI,

ORATIO.

**Q**VOTIESCVNQVE MIHI EX HOC  
loco dicendum fuit, (nobilissima & or-  
natissima corona) illud etiam atq; et-  
iam studui, ut non solum tempori ac loco,  
verum & professioni meæ Oratio esset accom-  
modata. Sic enim existimabam, unumquemq;  
in ea quam profiteretur scientia & libentius &  
utilius audiri, & dum quisq; suis quasi finibus  
se continet, rerum ordinem multò pulcherri-  
mum, multò etiam pulcherrimè conseruari.  
Hoc igitur observato more meo, decreui hodie-  
na luce, de Philosophia quidem & Philosopho  
differere, quòd talem aliquam tractationē tem-  
pus atq; locus deprecari videantur, at item de  
Theologia & Theologo, quod talis dissertatio  
professionis meæ rationibus maximè conueniat.

Tan-



Tantum vos oro atq; obsecro auditores praestantissimi, ut si quid fortassis liberius pro veritate contra falsitatem dixerò, ne id quisquam voluntati meae potius quam causae ipsi adscribat. Philosophorum quatuor potissimum sectae olim floruerunt, una Academicorum, altera Peripateticorum, tertia Stoicorum, quarta Epicureorum. Quae sectae quanta opinionum diversitate inter se decertauerint, & longum foret enumerare, et ad institutum nostrum minimè videtur necessarium. Persecuti aut sunt huiusmodi varietatem authores varij, Diog. Laertius in libris decem de vita et moribus Philosophorum, Hesichius Milesius, libro de his, qui eruditionis fama claruerunt, Plutarchus in libro de philosophorum placitis, Eusebius Caesariensis in libris de preparatione Evangelica, Theodoretus de curandis Graecanicis affectionibus, Sextus Empyricus de disciplinis Pyrrhonicis, Ioan. Stobaeus in Eclogis Physicis ac Ethicis, alijq; alibi. Nos verò missis Academicis, missis Peripateticis ac Stoicis, de doctrina Epicureorum ipsoq; adeò Epicuro solum nunc videbimus, atq; cōparatione haud futili demonstrabimus, Epicuri Philosophiam cum Lu-

F

theri



theri Theologia ita consentire undiq̄, ut ovis  
ovo vix sit tam simile, quam Theologus Luthe-  
rus Philosopho Epicuro. Quod quidem ita abs-  
me, dici demirabitur fortasse aliquis; At profe-  
ctò ni planum istud fecero, fidē verbis meis abro-  
gari omnibus haud molestè tulerō.

lib. 3. Insti-  
tut. divi-  
nar. ca. 17.

Epicuri doctrina, ut inquit lacteum il-  
lud Christiana eloquentia flumen Lactantius,  
semper fuit celebris, non quia veri aliquid  
afferret, sed quia multos popolare nomen  
voluptatis inuitaret. Nemo enim non in  
vitia pronus est. Epicurus ut ad se multitu-  
dinem attraheret, apposita cuiusq̄ moribus lo-  
quebatur, desidiosos vetabat literas discere, a-  
uarum à largitione liberabat, irreligioso dice-  
bat DEVM nihil curare, neq̄ gratia maiesta-  
tem eius tangi, neq̄ ira moueri, delicato dolo-  
rem proponebat ut omnium malorum maxi-  
mum, qui claritati ac potentia studeret, hunc  
precipiebat Regibus adulari, qui autem mole-  
stias ferre non posset, hunc Regiam fugere.  
Itaq̄ homo astutus ex varijs diuersisq̄ placitis  
circulum cogens, dum studebat placere popula-  
ribus, maiore discordia secum ipse pugnabat  
quàm



quàm inter se omnes penè aliȳ philosophi. Et hæc  
quidem Lactantius. Sextus autem Empyricus  
libro primo de disciplinis Pyrrhonorum cap. 1.  
scribit, Epicurum fuisse hominem in multis in-  
doctum, & neq̄ in communi sermone purum,  
hostem Platonis, Aristotelis, ac similium, qui  
multarum scientiarum cognitione præstabant,  
in hos omnes maledicum, præsertim autem in  
Præceptorem suum Nausiphanem, cuius fa-  
mam & existimationem delere contendebat, ut  
à seipso edoctus, suoq̄ solius ingenio ac industria  
Philosophus euasisse videretur. Hinc, ut Laër-  
tius & Hesichius referunt, Aristotelē non Do-  
ctorem appellabat, sed decoctorem; Platoni-  
cos assentatores; Protagoram straguligerum;  
Democritum Lerocritum; Antidorum Sani-  
dorum; Heraclitum simiam; Stoicos Græciæ  
perduelles; Nausiphanem verò suum magistrū,  
impostorem & pulmonem, hoc est, sensu caren-  
tem. Interim ipse ad Philosophiam suam rudes  
omnes inuitabat, sensibilia omnia vera esse di-  
cebat, & sensus veros, & phantasiā veram,  
contrà quàm aliȳ, qui & sensus ratione corri-  
gendos & Philosophiam à multitudine abhor-



rere docebāt. Deniq̄, sicut ei principium Philo-  
sophandi chaos fuerat, ita finis philosophandi  
una voluptas erat, quā vita huius breuissimæ  
termino sic circumscribebat, ut postea nec pra-  
mia nec pœnas ullas supesse traderet. Diuina-  
tionem, futurorumue præmeditationem negabat,  
& Deos hominū similes esse asserebat, ut testa-  
tur Cicero de natura Deorū. Empedoclis ver-  
sus Philosophicos maximi faciebat, adeò, ut de  
ipso Empedocle tres integros libros conscriberet,  
teste Laertio. Musicam autem præsertim vete-  
rem indignè auersabatur, ut refert Plutar-  
chus in libello contra Coloten Epicureum.

Iam Lutheri Theologiam ab hac Epicuri  
Philosophia quantum disidere putatis, optimi  
auditores? Profectò mira inter ipsas harmo-  
nia est, ac ea quædam analogia, ut Epicureismus  
hàud videatur esse aliud quàm imperfectus Lu-  
theranismus; Lutheranismus verò hàud ali-  
ud, quam perfectus Epicureismus.

Popularis erat secta Epicuri, ad cuiusq̄  
mores apposita. Quid aliud Lutheri persua-  
sio? Quid populus odisset, quid amaret, quid  
adipisci vellet, perpendebat Lutherus, atq̄ huc  
sua



sua dogmata conformabat, ut videlicet liquidi-  
ni & temeritati, quantum posset, inseruiret.  
Mobile nouerat esse vulgus, & dominationis  
suapte natura impatiens. Ergò summum  
Pontificem, Cæsarem, ceterosq; utriusq; rei-  
pub. Principes negligendos potius quam ob-  
seruandos haud obscure docuit, dū passim sum-  
mum Pontificem, Antichristum vocat; dum in  
libro suo contra duo mandata Cæsaris, Caro-  
lum V. miserum, vermium saccum appellat,  
qui se fidei defensorem impudentissimè mentia-  
tur; dum reliquos Germaniæ Principes in li-  
bro contra epistolam Regis Angliæ, Germani-  
cas bestias, tyrannos, fatuos, carnifices, len-  
des, bullas, nominat. Nouerat imperitam  
multitudinem libertatem illam carnis, qua li-  
ceat, quod libeat, unice desiderare. Ergò ne in  
hac quoq; promouenda libertate parùm popu-  
laris haberetur, fecit, quantum potuit; Ius v-  
trumq;, tum Canonicum, tum Civile explosit.  
Decretum enim, & Decretales, ubi sanctorum  
Patrū sententiæ, summorū Pont. et grauissimorū  
Conciliarum Canones continentur, tan-  
quam rem diram & execrādam flammis vltri-



cibus absumpsit, more Tyrannorum illorū An-  
tiochi Epiphaniij ac Diocletiani, qui sacros Co-  
dices, & Arrianorum qui Nicenos Canones  
Vulcano consecrârunt; quin & hoc tam pra-  
clarum facinus edito peculiari libello perquàm  
gloriosè iactauit. Leges autem ciuiles per liber-  
tatem Christianam esse abrogatas, in Captiui-  
tate Babylonica expressè perscripsit: Et in re-  
formatione ad Nobilitatē Germanicā, Nulla,  
inquit, est spes remedij, nisi libertatis Euange-  
lio reuocato extinguantur semel omnes omniū  
hominum constitutiones. Quæ porrò scommata,  
quæ conuitia atq; ludibria in Iurecōsultos ef-  
fuderit, sermones eius conuiuales ab Aurifa-  
bro Lutherano descripti satis ostendunt.

Nouerat communem hunc esse animorum  
morbum, ut quàm minimo labore ad vita bea-  
ta immortalitatem optemus conscendere: noue-  
rat carni parùm esse iucundam ieiunij obser-  
uationem, peccatorum exhomologesin, frequē-  
tes preces, idq; genus alia pietatis opera.  
En igitur quibus lenocinijs huic quoq; imbecil-  
litati vel potiùs socordia assentetur. Libertate  
omnes ea donat, quæ à delicatis nostris humeris  
has



has molestias in Christum seruatozem transfe-  
rat, qua nos ab omni seueriori maiorum nostro-  
rum disciplina immunes reddat, qua neglecta  
illa aspera & accliuu virtutis semita p̄ amplā &  
spaciosam deliciarum viam liberrimum iucū-  
dissimumq; excursum praebeat, qua ieiunia, Cō-  
fessionem, orationis assiduitatem, abstinenti-  
am, verbera, humicubationes & omnem illam  
castigationem, qua petulantis carnis impetus  
refrenantur, pro hypocrisi habeat, qua lachry-  
mas dolore peccatorum expressas, quibus iram  
Dei placare confidimus vt impias detestetur,  
qua deniq; omne opus quantumuis optimum,  
peccatum esse doceat, fidem autem esse vnā &  
solam qua Deū nobis placatū retineat, quicqd  
alioquin vel agam, vel nō agamus. Dānari. n.  
secundum ipsum nullus potest, quantumcunq;  
flagitiosus, nisi nolit credere. Vna, ipso iudice,  
infidelitas est, qua damnat; vt hac quidē tam  
absurda & exitialia paradoxa tūm alibi tūm  
in Captiuitate Babilonica valdē seriō affir-  
mat. An verò hoc non est Christi Theologi-  
am in Epicuri philosophiam conuertere? An  
hoc non est aliquem de Epicuri schola Deum,  
vt



lib. 1. cont.  
Márcion.  
Rom. 16.

Ezech. 13.

ut cum Tertulliano loquar, Christi nomine titulare, quandoquidem sic à Christo severitates & iudicaria vires omnes remouentur? An hoc non est per dulces sermones, ut inquit Apostolus, seducere corda innocentium & ut inquit Propheta, consuere puluillös sub omni cubito? Quòd si Tertulliano ibidem Epicurus rectè dictus est Marcionis consiliarius, haud video, cur non etiam multò iustius dicatur Epicurus consiliarius Lutheri. At est fortasse tamen, qui nondum satis perspiciat, quàm propè ad Epicuri Philosophiam Lutheri Theologia sese adiungat. Age igitur, quòd Lutherus nulla castitatis vota voluit esse perpetua, quòd ad nuptias non solum admisit, verùm etiam suo exemplo & doctrina instigauit sacerdotes, monachos, moniales, imò quòd Veneris usum nõ minus q̃ Cereris necessariũ docuit, quid aliud q̃ subãtis illius porci Epicuri vesaniam docuit? Erat indoctus Epicurus multis in rebus, erat præstantiorũ Philosophorum, præsertim eorũ, ex quibus didicerat, hostis infensissimus, negabat horum disciplinis ad perfectionem posse perueniri, sua crepabat dogmata, hæc ostētabat, uti pulchervi-



*pulcherrima, uti absolutissima. Ad gloriam enim, ut scribit Plutarchus in citato libello contra Coloten, adeò ruebat furenter, ut neminem unquam sapientem fuisse diceret, se excepto suisq; discipulis. Vnde & Neocles frater eius dicere solebat, matrem aluo continuisse tunc eas atomos, quarum concursu, sapiens nasci potuerit, quando Epicurum, progeniuit. Lutherus verò annon & ipse in multis indoctus? Id quod non modò Catholici luculenter patefecerunt; verùm & mox initio ipsi eius amiculi Zuinglius, Carlostadius, Bucerus, & alij mussitârunt, postea verò scriptis ac viva voce apertissimè & liberrimè testati sunt. Philosophorum insigniorum, sanctorum item Patrum, & Theologorum Scholasticorum Præceptorum suorum hui quàm strenuus oppugnator, imò verò calumniator Lutherus. Aristotelem vocat. Aristultilem & ut Germanisare cum eo liceat, Der Hohenschuelen Narrentreiber, qui multò minus de rebus naturalibus nouerit, quàm figulus aliquis. Ecclesiasticis Patribus Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Gregorio & alijs, fidei nihil plus habet quàm Sathana: Nã & huic credit,*

G

qua-

In Expos.  
 Euang. 2.  
 Domini-  
 cæ Aduen-  
 tus, ad Al-  
 bert. Com.  
 Mansfel-  
 dens. año.  
 1532. Ibid.  
 super Eu-  
 ang. Epi-  
 phaniz.



quatenus ipsius doctrinam, iudicat scriptura  
sacra consentaneam; nec aliter istis: Vnde ta-  
met si omnes uno ore id ipsum, tanquam scriptura sa-  
cra congruens doceant, id tamen ipse impuden-  
ter audet reijcere, illud occinens pro se stare E-  
uangelium, pro se stare Paulum; quasi verò pra  
ipso omnes hi Patres trunci fuisset, aut fungi, quod  
neque quid Christus, neque quid Paulus voluisset,  
intelligere potuerint; Et quasi non ipsemet  
Christus de his dixisset, Qui vos audit me au-  
dit; Et Paulus verborum Christi procul dubio non  
malus interpretes, datos esse nobis pastores et do-  
ctores, etiam praeter Prophetas et Euangelistas,  
ne incidente aliqua fidei controuersia fluctua-  
remus tanquam paruuli et circumferremur omni-  
uento doctrina, sed sequentes eiusmodi pastorum  
et doctorum unanimum consensum sciremus nos sequi  
scripturae sacrae legitimum et salutiferum sensum.  
Scholasticam Theologiam, in citato libro ad  
Nobilitatem Germanicam, calumniatur plus  
habere opininum ethnicarum, quam certarum  
sententiarum. D. Thome autem doctrinam,  
quam doctissimi quique semper maxime fecere, ni-  
hil esse aliud ait in capt. Babylon. quam rudita-  
tem

Luc. 10.

Ephel. 4.



rem quandam asininam & incredibilem stuporem atq; inscitiam. Deniq; in scholastica Theologia nihil se didicisse scribit, q̄ ignorantiam peccati, iusticia, baptismi, & totius vite Christiana, nec quid virtus Dei, opus Dei, gratia Dei, iustitia Dei, fides, spes, charitas sit, breuiter, non solum se nihil didicisse, sed non nisi dediscēda didicisse, omnino contraria diuinis literis.

In resolu-  
tionibus  
Conclusio-  
num Ly-  
p̄sic. circa  
concl: 20

Ecquidni Luthere, quid ni etiam eruditissimorum hominum contemptu, & manifestis istiusmodi mendacijs Epicurum nobis referas, qui in alijs omnibus eius doctrinam tam egregie refers? Ex aliorum disciplina perfectionem frustra queri deblaterabat Epicurus.

Quid aliud Lutherus? An non hanc ipsius sententiam in Hyperaspiste suo ipse quoq; recitat Erasmus: Neminem vel tantillum moueat ( ut scilicet doctrinam Lutheranam non sequatur ) multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Doctorum superiorum, omnes perierunt, si omnino ita senserunt, uti scripserunt. Meam doctrinam inquit in lib: contra Regem Anglia, nolo iudicari neq; per Angelum, neq; per hominem. Certus enim sum eam caelitus manare.



*Ad Philosophiã Epicuri indiscriminatim omnes, etiam rudissimi admittebantur. Et Theologiam Lutherus tam facilem esse dictabat, ut scholis nihil opus esse credi vellet, aut certè nihil Physicis aut Metaphysicis scientijs, quin possit quicumq; vel nudas verborum significationes intelligat, sine ullo interprete veros scripturæ sacræ sensus comprehendere. Sensibus porrò ita fidebat Epicurus ut quicquid his appareret, verum ipse arbitraretur.*

Ad Nobilit. Germanicam,

Disputatio Hungari de trã subst. excusa, publicæ habita Ingolstadij respondente pro Licentia Theolog. D. Christophoro Gail, nunc Cathedra- lis Ecclesie Frisingensis Decano.  
a In Serm. de cœna Domini.  
b Catech. mytag. 4.

*Lutherus quoque, ne longius, quàm ad nuperam nostram disputationem de transubstantiatione abeamus, an nõ in Sacramento altaris ita pertinaciter adheret sensibus, ut cũ illi etiam post consecrationem panis adesse substantiam renuncient, nullo modo ab hac sententia se diuelli patiatur, quicquid ex scripturis sacris testentur vetustissimi Ecclesie Doctores, ipsaq; Oecumenica Concilia. Sunt eum apertissima D. Cypriani verba; panem mutari non quidem secundum effigiem attamen secundum naturam siue substantiam. Est minimè obscura illa D. Cyrilli Hierosolimyitani admonitio: Et si post consecrationem gustui, panis adesse videatur*



deatur, fides tamen te confirmet, ut credas, non  
esse panem sed esse corpus Christi; prout etiam Catechi-  
mystag. 8  
in Chana Galilee ipsius aqua in vinum facta  
est transmutatio, ut videlicet verè amplius non  
fuerit aqua sed vinum. Est denique gravissi-  
ma definitio magni illius Concilij Lateranen-  
sis, plusquam mille & ducentorum Patrum præ-  
sentia & actione illustrati, cui Patriarchæ, ipsi  
quidem Constantinopolitanus & Hierosolimy-  
tanus, per legatos verò suos Antiochenus &  
Alexandrinus interfuerunt, præsedit autem  
Innocentius tertius Romanus Pontifex, Vbi sic  
est in Capite primo: IESU Christi corpus &  
sanguis in Sacramento altaris sub speciebus pa-  
nis et vini veraciter continentur, transubstan-  
tatis pane in corpus, & vino in sanguinem po-  
testate diuina. Sed cum Epicuri in morem sen-  
sibilia omnia vera esse, sensum verum esse, phan-  
tasiam suam veram esse Lutherus persuasum  
habeat, surdo cantantur hæc omnia. Chaos fuit  
seu rerum confusio, qua Philosophum peperit  
Epicurum. Chaos fuit siue confusio non modò  
totius ordinis Hierarchici sed omninò etiã to-  
tius ordinis Lutherici, qua peperit Lutherum.  
Scripsit is mox sub initium hæreseos sua librum



*de captiuitate Babylonica. Quid autem aliud  
 Babylonia quàm confusionem & translatio-  
 nem significat? Omnia ergò in illo libro sursum  
 ac deorsum miscet, vix ququam quod rectum,  
 quod verum, suo loco immotum relinquit. Quin  
 & in alijs eius libris, quanta, proh Deum, con-  
 fusio? qualis labyrinthus? quàm inextricabilis  
 error? quàm multa repugnantia? Quibus ali-  
 ter videtur, ij quaso consulant Querschameri  
 Lypsenfis contradictiones triginta sex, quas  
 Lutherus vel circa unum SS. Eucharistia Sa-  
 cramentum effutiuit, consulant Fabrum de  
 Lutheri Antilogijs, Cochleum de septicipite Lu-  
 thero. Emoriar nisi aperte mecum fatebuntur  
 multò magis etiam Lutherum à seipso, quàm E-  
 picurum, dissidere. Interim, ut Epicurus ex di-  
 uersis Philosophorum placitis circulum coegit &  
 de obsoletis Cyrenaicis alijsq; Philosophia astris  
 floruit, ita Lutherus ex varijs iam pridè dāna-  
 tis, et anathematizatis haresibus Manetis, Ar-  
 rij, Aerij, Eunomij, Vigilantij, Iouiniani, VVi-  
 cleffi aliarumq; pestium venenis pestiferam su-  
 am sectam condidit: In qua persuadenda &  
 propaganda, ita etiam impuram, siue ut Se-  
 neca*

Vide ana-  
 lyticas Lu-  
 theranae  
 & Calui-  
 nianae hæ-  
 reses: tabu-  
 las à Lin-  
 dano &  
 alijs Ca-  
 tholicis  
 conscri-  
 ptas, &c.



*neca vocat, brutam illā Epicuri philosophiam imitatus est, ut nullus unquam Theologorum tam scurrili audacia, tamq̃ obsceno stylo ac ore quā ipse negotium religionis tractauerit: Voluptatem Epicurus huius vitæ termino definiebat dum animas nostras veluti capite mulctans una cum corporibus interire asseribat; Et quanq̃ verbis Deos relinqueret, re ipsa tamen tollere dicebatur, quia nullam illis rerum sublu-  
 narium providentiam tribuebat. Quid Lutherus? Non ille quidem eundem animarum, quem corporum, interitum statuere videri voluit; at interim animas ex animabus pro-  
 gigni, non secus ac corpora ex corporibus, dogmatizavit: qui sanè error communi eruditorum iudicio illuc tendit, ut omninò etiam anima nostra Et corporea Et caduca credatur. Præterea dormire animas nostras, nescio ubi, usq̃ ad extremi iudicij diem, concionatur in sermone de Lazaro Et diuite. Quid autem hoc est aliud, quā in speciem saltem demori, Et adeò reuera cum corpore demum resuscitari; interim uerò neq̃ meritorum condignis præmijs neq̃ scelerum iustis pœnis affici? quod totum  
 Epi-*

In disp. de  
 de distin-  
 ctione di-  
 uinarum  
 personarū  
 proposita  
 VViteber-  
 gæ, anno  
 1546.



Ita colligitur ex eiusdem fer. de natiuitate B. Virginis: & assentiuntur aliqui præcipui Lutherani

In epist. 124.

Ita Lutherus in art. 36.

*Epicuri amentiam spirat. Ac quanquam præmia & pœnas post hanc vitam non negasset aliquousq; Lutherus, dum tamen disparitatem præmiorum negauit, Epicureum quiddam vel in hoc ipso errore representasse putandus est. Certè Iouinianum qui ita ante Lutherum errauit, D. Hieronymus Epicureum appellasse non tam ob alios quam ob hunc quoq; errorem videtur. Deum quoq; Lutherus verbis haud negabat, sed si nihil interest, ut scitè, post Ciceronem & alios, scribit Seneca, utrum Deos neges vel infames, profectò re ipsa Deum negabat.*

*Quoniã, ut complures alias ipsius blasphemias prætereã, an non illa sũma in Deũ impietatis vox est; etiã omnia mala opera Deũ in impijs operari, in potestate hominis non esse vias suas malas facere, sed Deum potenter omnia in omnibus operari, ut secundum Lutheri interpretem Philippum in prima editione locorum communium, non minus propriũ sit Dei opus proditio Iudæ, vel adulterium Dauidis, quàm Cõuersio Pauli? Quod horridum, & blasphemum dogma veluti confirmans Lutherus illo ornat Ethnici Poetæ, certa stant omnia lege, pro ut*  
*& ani-*



Et anima traducem corroborat ex illo, patrem  
sequitur sua proles; ne videlicet solus Epicurus  
contra veritatem Ethnicis Empedoclis versi-  
bus delectatus fuisse videri possit. Mihi pro-  
fectò illud longè grauius erratum videtur, cau-  
sam scelerum omnium Deo ascribere, quàm om-  
nium rerum prouidentiam Deo detrahere: Ta-  
met si quidem Et prouidentiam Deo apertissimè  
quoque detraxit Lutherus, dum eum permisisse  
docuit ut per tot secula ipsius Ecclesia in densis-  
simis errorum tenebris versaretur, adeò ut nisi  
ipse venisset, adhuc Euangelium sub scamno de-  
litesceret. O Epicureum impiissimum, qui Deo  
prouidentiam suam ac singularem curam, qua  
se Ecclesia sua tanquam columna Et firmamen-  
to veritatis ad futurum promisit usque ad con-  
summationem seculi, tam superbe, ut more Epi-  
curi solus sapere videatur, adimere quantum  
quidem in se est conatur! Sed longius progre-  
dior quam putabam. Quòd si igitur Lutherus  
una cum Epicuro re ipsa Athens est, si præcipua  
ipsius dogmata nihil nisi Epicurismum conti-  
nent (Ex his. n. quæ dicta sunt, cetera etiam quæ  
ppter temporis angustiam dicta nō sunt colligere

H

lice-



licebit.) Reliquum est, ornatissimi iuvenes, ne  
unquam aliter de Theologia Lutheri quam de Phi-  
losophia Epicuri statuatis, quoniam utraque potest iux-  
ta auersemini ac detestemini. Epicuri uoces sunt:  
Virtus et Philosophia rigidior uerborum ina-  
nium sunt crepitus, una felicitas facere omnia li-  
berè, frui patrimonio, fluunt dies, irreparabi-  
lis uita decurrit, Quid iuuat sapere et atati  
non semper voluptates decerptura frugalitatem  
imperare? mortem quasi ultrò præcurrere?  
et quod ipsa ablatura est iam sibi interdicare?  
Quotidie sobrius es, sic canare soles, quasi Ephe-  
meridem patri approbaturus. Non est istud ui-  
uere, sed potius aliena uita interesse.

Non multum absimiles Lutheri sunt uoces:  
sola fides ad salutem satis est, si firmiter statuis  
tibi Deum esse propitium propter Christum, hoc  
iam solo iustus es, beatus es, peccatum damnans  
nullum est præterquam infidelitas, pietatis ope-  
ra ad salutem non modò sunt inutilia, sed perni-  
tiosa etiam, siquidem te ijs ubi uel in Dei gra-  
tiam receptus es promeriturum existimes etc.  
Vane ac falsa sunt hæc uoces, ornatissima iuuen-  
tus, abducunt hi Syrenum cantus, à uera uirtu-  
te et



te & solida Philosophia, abducunt a maioribus nostris, à caelesti patria, & in sempiternum precipitāt exitium. Praclarè proinde fecerunt hactenus lectissimi Domini Candidati nostri, qui veluti fortissim⁹ ille Hercules in biuio blandam voluptiā, & tanquam prudentissimus ille Ulysses, insidiantes nauigantibus Syrenas, popularem istā tum Epicuri Philosophiam, tum Lutheri Theologiā, fortiter atq; prudenter aspernati, eius sapientiae studium sunt secuti, unde & meliores & doctiores, se Deo hominibusq; comprobarent. Qua etiam de causa mihi longè iucundissimum fuerit quod suo quodam iure paulò ante à me efflagitārun, iam iam ipsis tribuere, si modò prius solito ipsos videro adstrictos iureiurando.

## D I X I.

Orationes hae duae de antiq̄ua fide, Magni Athanasij, & de Epicurea doctrina Lutheri, dignae mihi visae sunt, quae typis impressae euulgentur.

GREGORIVS DE VALENTIA Societatis  
IESV, Theologicae Facultatis Ingolstadij  
pro tempore Decanus.




























Orat

38